latio. et angustia. in omnem animam operantis hominis malum. Etenim assur uenit cum illis. Assur qui interpretatur dirigens: diabolum
designat. qui omnes sequaces suos ad eternam dirigit perditionem. Hic ergo uenit cum turba perditorum. quia ipse operatur in filiis diffi
dentie tamquam in uasis suis ut oppugnet populum dei. Facti sunt in adiutorium filiis loth. Loth. interpretatur declinans.
Quo nomine bene intelliguntur angeli apostatici. et desertores ueritatis. Horum adiutores sunt. infideles et inimici po
puli dei. Omnis ergo reproborum exercitus qui et nunc inpugnat ecclesiam. et tunc sub antichristo ardentius congregandus est. harum
gentium interpretationibus expressus est. Fac illis sicut madian et sisare. sicut iabin in torrente cison. Madian. iudicium si
ue ex iudicio. ut iniquitas. Sisara. gaudii exclusio. Iabin intelligens. ut sapiens in malo. quem describit apostolus.
Ubi sapiens. ubi scriba. ubi inquisitor huius seculi. Hec uocabula congruunt malis. quos superat exercitus dei in torren
te cison. Torrens quippe cison. qui pluuiis hiemalibus crescit. et obuia queque trahit et deuorat uelocitatem uite mor
talis exprimit. que omnia adtrahit atque consumit. Disperierunt in endor. facti sunt ut stercus terre. Endor interpretatur
fons generationis utique carnalis. cui dediti disperierunt non curantes regenerationem. que omnes saluat in bap
tismate. De his merito dicitur. facti sunt ut stercus terre. Stercore enim foecundantur agri. et ex his qui sunt fons ge
nerationis terrene. nihil spiritale. nihil celeste. sed sola terrena propagantur. Pone principes eorum sicut oreb. et zeb. et zebee.
et salmana. Oreb coruus. uel siccitas interpretatur. Zeb lupus. siue dolus. Zebee uictima. siue hostia. Salmana.
consummatus uel perfectus. quibus interpretationibus malitia illorum qui domino contrarii sunt manifestatur. Ipsi enim obscurati
et nigri sua peruersitate. querunt deuorare iustos sicut lupus. Ipsi quoque sunt uictima diaboli. quorum malis actibus
pascitur. consummati et perfecti in plenitudine peccatorum. Et sicut historialiter illi uicti sunt. a filiis israhel. sic istos orat pro
pheta superari a ueritate que est christus. Omnes principes eorum qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium dei. Principes eorum
auctores dicit malorum consiliorum. Hereditate possideamus. id est. quod supra dixisse leguntur. Uenite et disperdamus eos de
gente. Sanctuarium autem dei. templum illud dicit sanctissimum ad litteram. Spiritaliter sanctuarium dei. plebs est christiana. ad quam loquitur
apostolus. Templum dei sanctum est. quod estis uos. Deus meus pone illos ut rotam. Rota que in semetipsam reuoluitur. et posterio
ribus eleuatis anteriora ad dorsum reuocat. cupiditatem rerum temporalium et circuitum instabilis uite. que per perpe
tem dierum repetitionem. tamquam rota circuitu quodam agitur designat. Huic rote similes sunt omnes iniqui. qui in suis cu
piditatibus inhiantes. nec prosperis eleuantur. nec aduersis tamquam ad ea que retro sunt repelluntur. Et sicut stipulam
ante faciem uenti. Id est impii stipule assimilantur. ariditate pleni. et nulla sancti spiritus gratia inpinguati. Uentum autem temp
tationis commotionem uocat. qua impulsi reprobi uelut uento. diuersis passionibus sicut stipula rapiuntur. Faciem uenti
presentiam dicit. Que enim uenti facies esse potest. cui nulla insunt corporis lineamenta. Uentus enim est flatus aeris. Sicut
ignis qui comburit siluam. et sicut flamma comburens montes. Eosdem quos rote et stipule assimilauerat nunc siluam et montes
uocat. Siluam propter sterilitatem bonorum operum. Montes propter elationem et superbiam. Tales inimici iustorum inanes
iustitia. pleni sunt fastu iactantie. Ignem autem et flammam. pro una eademque re posuit. hoc est pro iudicio. quo damp
nabuntur impii. Ita persequeris illos in tempestate tua. et in ira tua turbabis eos. More suo quod dicit in tempestate.
idem dicit in ira. Tempestatem autem iudicii tempus dicit. quia ex inpuiso sicut tempestas adueniet. et nullum relinquet lo
cum consilii. magnitudo periculi. Iram etiam dei non perturbationem affectus. sed iusta ratione uindicte intelligamus.
uelut si lex dicatur irasci. cum secundum eam reus dampnatur. Imple facies eorum ignominia. et querent nomen tuum domine.
De iudeis hoc specialiter dicitur. qui credituri erant. Permissi sunt enim occidere christum. sed postea predicantibus apostolis.
cum cognouissent immanitatem sceleris sui. impleta sunt facies eorum ignominia et confusione. et sic quesierunt no
men domini dicentes. Uiri fratres quid faciemus. Indicate nobis. Sed et omnibus superbis utilius est. in aliquo manifesto crimine. uerbi
gratia. fornicationem. uel aliquod carnale peccatum ruere. et deprehensa iniquitate erubescendo penitere. quam sub specie
religionis superbire. Unde et per prophetam tali anime. que spiritalibus uitiis superbia. uel inuidia intabescit loquitur deus. Et tu
filia syon usque ad babilonem uenies. ibique liberaberis. Erubescant et conturbentur in seculum seculi. et confundantur et pe
reant. hoc de illis dicitur. qui usque ad mortem in suis malis perseuerant. Hi enim conturbandi sunt. hoc est dampnandi in seculum seculi.
Quod uero sequitur. confundantur et pereant. de illis dicitur. qui salubriter erubescunt in hoc seculo penitentiam agendo. ne dampnabiliter
confundantur in futuro. Quod aperte ostenditur cum subditur. Et cognoscant quia nomen tibi dominus. Ad hoc inquit confundantur. et ad hoc per

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 179 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/179)